



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI  
TRES ||**

**Schottus, Franciscus**

**Antverpiae, 1600**

De Vaticana Bibliotheca, aliisque. X.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](#)

Confer in Esquiliis hinc te Praxedis ad aram,  
 Priscaque Aventino colle roganda tibi est.  
 Inde parens iterum maior tibi prabeat aures,  
 Et Laterana domus tercia vota ferat. (ta est.  
 Crux repetenda etiam, cui Nauia proxima por-  
 Templa habeant quartas & Laterana preces.  
 Adiace pramissis Paschalia festa diebus,  
 Ut vani referas uberiorus opem.  
 Curaq; maiorem sit visere tertia matrem,  
 Tertius & Petri templa subire labor.  
 Expedit & Paulum geminato accedere voto,  
 Est labor, at meriti gratia maior erit.  
 Mænia ter rursus videat Laurentius extra,  
 Rursus Apostolica est & veneranda cohors.  
 Pantheon hinc adeas, Mariæ nunc templa re-  
 tunda,  
 Clarum opus Agrippa conspicuumq; decus.  
 Ioannesque quater Laterana cultus in ade,  
 Excipiat quintas, qua prius aure, preces.  
 Ultimus emerito Pancratius ore rogetur:  
 Et tua sic tolli crimina posse puta.

## DE VATICANA BIBLIOTHECA SUMMI PONTIFICIS.

### CAP. X.

**B**IBLIOTHECA Vaticana Pontificis quoti-  
 die à doctis hominibus merito frequenta-  
 tur. Abundat enim, resertaque est, si quæ alia  
 in Europa, antiquissimis omniū disciplinarum  
 artiumq; libris cùm Græcis, tū Latinis ac Hebraicis,  
 calamo in membranis olim exaratis, multis  
 retro sæculis accumulati à summis Romanæ se-  
 dis Pontificibus, quibus colligedi libros, seruan-  
 diq; studiū fuit, in tot bellorū ciuilium, extero-  
 rumq; calamitatibus, direptionibus, ac cladi-  
 bus,

bus, quas ea Vrbs à Barbaris gentibus accepit; quod vrbium reginam extinctam cuperent.

Xistus V.P.M nostra memoria nuper mirifice auxit, ornauit, illustrauitque picturis atque ædificio immenso: quod singulari poëmate à Gulielmo Blanco Gallo, & Historica descriptione depingitur à F. Angelo Rocho, Episcopis. Schidis etiam nondum editis ab Onuphrio Panuinio, eiusdem ordinis Eremitarum cum Rocho, monachi pererudit.

Illud tamen mis votis optant, atque efflagitant docti viri, Pôtificis Max. beneficio INDICEM libro:ū Græcorum Latinorūque bono publico edi atq; euulgari. Sic enim fieret, vt inflammati erudit, qui ad veteres scriptores illustrandos animū appellant, frequentes Romā venirent: prodidēt innumerabiles auctores, qui vel latent in tenebris, lucemque nondum aspicerunt, vel longè depravatissimi, misili, ac manci circumferuntur. Præstitit hoc Augusta verè Repub. Vindelicorum per Indicem inuitatis eruditis hominibus, qui Græcos Patres, cōparando vulgatas editiones cum M. SS. illustrare vellent. Et Galliæ Regibus Cristianissimis Francisco I. & Henrico II. quot quantosque scriptores Græcos cùm historicos, tum Theologos acceptos referam, necesse est: ut & Mediceæ bibliothecæ Reginæ matris, Magnique Etruriæ Ducis: cui familiæ litteræ multum se debere libenter agnoscunt Augustior verò, longeque copiōsior Pontificia est, imò Regia etiam bibliotheca, quæ in Carpetanis Hispaniæ est ad Diuum Laurentium: quam & Didacus Huctadus Men-doza, Cæsaris olim apud Venetos legatus, accepta è media Græcia Græcorum librorum plena naui, mirifice ornauit.

Sunt & aliæ Romæ egregiæ bibliothecæ: ut collegij Canonicorum S. Petri in Vaticano:

Cat-

Cardinalis quoque Gul. Sirleti , libris Græcis plena , vt erat ille ad miraculum doctissimus : quæ nunc bibliotheca xx. millibus aureorum estimata, Ascanij Card. Columnæ est, paterq; doctis hominibus . Sforciana quoque aucto-ribus Græcis manuscriptis abundat, & Farne-siana .

Taceo innumeratas priuatorum bibliothecas rarorum librorum , rerumque preciosarum : Qualis est Fulvij Vrsini Romani , hominis vtriusque linguae doctissimi: & altera Aldi Manutij Pauli F. Aldi N qui nuper in medio vitæ caru vita decedens , octoginta millium libro-rum bibliothecam à se collectam, Pisanae Aca-demiae in Etruria , vt audio , testamento le-gauit .

Nam extra Rōmām bibliothecas audio ce-lebrari , Ducum Florentini & Vrbini: Græcis illa, hæc Mathematicis referta .

Mediceæ Bibliothecæ hic

Florentiæ legitur Titulus:

DEO PRAESIDIB. FAMILIAE DIVIS.

CLEMENS VII. MEDICES P.M.

LIBRIS OPT. STUDIO MAIOR. ET SVQ

VNDIQUE CONQVISITIS

BIBLIOTHECAM AD ORNAMENTVM

PATRIAE. CIVIVMQ. SVORVM

VTILITATEM D.D.

Hanc Bibliothecam COSMVS MEDICES  
Tuscorum magnus Dux perficiundam curauit  
anno Domini M.D.LXXI.III.Id. Iulij.

*Cosmus in has ades meliora volumina Kōrūs*

*Transtulit. Et primas quas habet orbis opes.*

*Sic genuit tandem sterili de nomine COSMVS*

*Rem sibi cum mundo, et litibusq; parem.*

Hic Pandectæ Iuris ciuilis in membranis  
scripti asseruantur , Pisii huc translati : quos ab  
anti-

antiquitate mirificè prædicant Angelus Politanus, & Petrus Victorius, homines longè doctissimi, qui eos libros tractarunt, & hinc emendarūt infinita loca deprauata: itē v. c. Antonius Augustinus, vir suis æculi & eloquentium Iurisconsultissimus, & Iurisconsultorum eloquentissimus, ut scripta testantur; aliique post Galli doctrina politi, easdem Pandectas emendandi prouinciam suscepserunt.

Ad libri calcem ibi legitur:

*Ego Marsilius Ficinus interfui, dum hoc reperiatur opus: idq̄ manu propria scripsi, 9. Apr. anno D. 1496. Petro Bernardo Bernhardis sedente Vexillifero Iustitia.*

Sed Romam ad Vaticanam Bibliothecam tanquam in viam redeamus.

## D E B I B L I O T H E C A V A T I C A N A

*Ex non editis Panuinij,*

**G**Entiles suos libros in Bibliothecis publicis, & priuatis consueuisse asseruare, ex eorum monumentis, & ex his, quæ nuper scripsimus, facili cōiectura possumus consequi, permultiq; tradiderunt. Ecclesiā verò Catholicā iam inde à primo post Christū exordio in præcipuis quibusdam locis Bibliothecas sacras habuisse, quibus studiosorū ingenia pascerentur, non est obscurum. Nam D. Athanas. in narratione de persecutione Arianorum in Ecclesia Alexandrina tradit; Bibliothecas in Ecclesiis Christianorum fuisse, librosque magna cura conseruatos: & in eo Arianorum impietatem accusavit, quod libros Ecclesiæ eruptos indignissimè combussisse.

sent. Hieronymus earundem meminit , cùm ad Pammachium pro libris suis aduersus Iouinianum scribens ait : Ecclesiarum Bibliothecis fruere . Eusebius præterea lib. i i x . cap. ii . scribit , Ecclesiam libros sacros in oratoriis habuisse ; eosque temporibus Diocletiani excisis oratoriis ad delēdam prorsus memoriam Christianorum exustos esse . Neque verò desunt in scriptura coniecturæ . quoniam Paulus ad Timotheum scribens , libros secum Romam appor tare iubet , maximè verò membranas : atque idem libros Propheticos in Ecclesia Corinthiorum legi solitos , i . ad Corinth . testatur . Bartholomæum verò Indis verbum Dei prædicasse , ibique Euangeliū Marthæ Hebraicè manus sua descriptum reliquisse , lib. v . cap. x . historiæ Ecclesiasticae prodidit Eusebius . quod exemplar in India repertum Origenes ( teste Hieronymo ) Alexandriam reportauit ; cùm ex Oriente libros canonicos veteris testamenti Melito ( ut ait Eusebius ) atrulisset . Hebræi tandem libros sacros diligentissimè custodiebant , & in synagogis suis Moysen per singula Sabbathata legere solebant . Quare eosdem Christianos factos in describendis , & conseruandis libris Propheticis , & Apostolorū , atque Euangelistarum studium suum collocasse , meritò est credendum .

Sed loca vbi libri seruabantur , non vno nomine fuerunt appellata ; nam & archiuia , & scrinia , & Bibliotheca ( ut ex auctoribus citandis patebit ) dicebantur . Bibliothecarius in vita Cælestini Papæ : *Hic, inquit, fecit constitutum de omni ecclesia, maximè de regionibus; quod hodie in archiuo ecclesia tenetur reconditū.* Et in vita Leonis Papæ : *Multas epistolas scripsit Papa Leo, qua hodie in archiuo Ecclesia tenentur.* Et in Gelasio Papa : *Gelasius libros aduersus Eutychem, & Nestorium edidit,*

edidit, qui hodie in Bibliotheca Ecclesia archivio reconditi tenentur. Tamen que in vita Bonifacij Papæ 11. Bonifacius Papa chirographum damnationis Dioscori archivio Ecclesia reclusit. Anastasius præterea in vita Martini Papæ. Synodus, inquit, Lateranensis à Martino Papa contra Syrum Alexandrinum, Pyrrhum, Sergium, & Paulum Constantinopolitanos Patriarchas hereticos Monothelitas celebrata, hodie archivio Ecclesia continetur. Et in Leone: Hic fecit constitutum, quod in archivio Ecclesia coniunctur, ut qui ordinatus fuerit Archiepiscopus, nulla consuetudine, pro usu pallij, aut diuersis officiis Ecclesiasticis quidquam persoluere debeat. In Ioanne vi. ait: Ioannes Pap. facto concilio sacerdotum Novellum Episcopum, qui ab Archiepiscopo Ravennate ordinatus fuerat, sub ditione sedis Apostolica reintegrauit & confirmauit: cuius rei chirographum in S. R. E. archivio retinetur. Ultimo in vita Stephani 11. Astulfo Rege Longobardor. eidem multas civitates, quas vi occupauerat, abstulit; quas beato Petro, S. R. E. & Romanis Pontificibus donauit, scriptisq[ue] suis donationem fecit, qua hactenus in archivio S. Ecclesia recondita tenetur. Hieronymus quoque in prologo Esther scribit: Quemlibum ego de archiuis Hebraorum eleuans verbum è verbo expressius transluli. D. autem Gregorius Papa in prologo xl. homiliarum suarum ad Secundinum Episcopum Tauromilitanum refert, xl. homilias suas in scrivio S. R. E. detinet. Et Iulius Papa, qui Marco Silvestri successori suffectus est, instituit, ut in Ecclesiæ scriniis reponerentur cautiones, instrumenta, donationes, commutationes, traditiones, testimonia, allegationes,

ac

ac manumissiones clericorum in Ecclesia. Sed nominis Bibliothecæ exempla, & testimonia non est quod afferantur.

Ex his igitur facile cognoscere licet, permulta eorum quæ in Bibliothecis reponebantur: veniam non ista solum, quin etiam & præcipue Bibliorum libri conseruari solebant, ut satis superque ex Eusebio, & Ecclesiarum usu constat: in quibus quatuor Evangelistarum libri, Epistolæ Pauli, Petri, Iacobi, Ioannis, & Iudeæ, nec non Acta Apostolorum, & Apocalypsis Ioannis legi fuerunt solita. Opera tandem sacrorum Doctorum in eisdem Bibliothecis seruabantur; ut Ignatij, Martialis, Clementis Romani, Iustini, Egesippi, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, & aliorum, quorum permulta ad nostra usque saecula peruererunt. Quare dicendum est, Bibliothecas propter librorum Bibliorum, memorie Doctorum, & scriptorum Ecclesiasticorum, veræque Ecclesiæ historiæ conseruationem, atque ad posteros propagationem structas, & institutas fuisse.

Ad structuras autem, & conseruationem Bibliothecæ non mediocres sumptus erant necessario faciendi librorum conqueritoribus luctulentis, ac peritis scriptoribus totique veræ Bibliothecæ. hi partim fidelium diuitum liberitate, partim ex communi Ecclesiæ uxorio fiebant. In quo sanè Magni Constantini eximium, & singulare prædicatur studium; qui (ut tradit Eusebius lib. III. de eius vita) imperatoris thesauros liberalissime effudit in colligendis, scribendisque libris sacris, quos Gentiles temporibus persecutionum ab Ecclesia ferè excusserant.

Verum tamen munus Bibliothecæ condédx, conseruandæ, ac curandæ Episcoporum paxcium fuit, nec non & presbyterorum: quoniam ad

ad hos maximè spectabat & sacros euoluere , ac custodire libros ; & authenticos ab apocryphis ( teste Eusebio ) discernere . Quamobrem Notarios , librarios , & puellas ad scribendum exercitatas , qui libros describerent ( vt appareat ex Ambro-  
sij , Origenisque historia ) alere , & sustentare solebant . Inter hos Panthenius rector scholæ Alexandrinæ diligentissimus librorum conquisitor perhibetur . Pamphilus etiam presbyter , & martyr Cæsariensis magno studio , & indu-  
stria ( vt ait Eusebius ) Bibliothecam instituit :  
camque tum Origenis , tum aliorum scripto-  
rum voluminibus exornauit . cuius Cæsarien-  
sis Bibliothecæ in apologia aduersus Rufinum  
meminit Hieronymus . Alexander præterea ce-  
leberrimus Hierosolymorum Antistes mirifi-  
cam Bibliothecam Hierosolymis construxit ,  
eodem teste Eusebio ; in qua libros Berilli , Hip-  
polyti , Caij , & aliorum scriptorum Ecclesiasti-  
corum reposuit : quibus se adiutum , & instru-  
ctum in scribenda historia Ecclesiastica Euse-  
bius testatur .

Sed ne diligentiam , & studium nostrorum silentio prætereamus , Clemens primus post Pe-  
trum Pont . Max . qui multas scripsit utiles epi-  
stolas in Ecclesia Romana conseruatas , ad po-  
sterosque transmissas ; Romæ , ubi fons pietatis ,  
doctrinæque erat , septem Notarios in singulas  
regiones distributos instituit , qui censibus Ec-  
clesiæ nutriti , gesta Martyrum diligenter per-  
quisita , & sigillatim indagata litteris , & monu-  
mentis consignarent . Anterus Papa res gestas  
Martyrum à Notariis descriptas requisivit , &  
in Ecclesia recondidit . Fabianus Anteri suc-  
cessor ordinavit septem Diaconos iis notariis  
imminere , vt Martyrum res gestas vndeque  
singulatim colligerent . Actiones præterea Syn-  
odi Romanae sub beato Siluestro celebratae co-  
rundem

et, ac  
testi-  
rios,  
atas,  
bro-  
tare  
holæ  
qui-  
yter,  
adu-  
tuit:  
pto-  
rien-  
num  
ce-  
risi-  
xit,  
Hip-  
asti-  
tru-  
use.  
  
um  
Pe-  
epi-  
po-  
litis,  
ilas  
Ec-  
per-  
nu-  
stas  
, &  
uc-  
riis  
pue-  
n-  
o-  
m  
eundem Notariorum testimonium tribuant. Ad hæc Iulius Papa, qui post Marcum Siluestris successorem praefectus est, constituit, ut cuncta, quæ ad Christi fidem conseruandam, propagandamq; pertinerent, per Notarios S. R. E. colligerentur, atque ea omnia monumenta à Primicerio Notariorum approbata in Ecclesia reconderentur. Hilarius autem Papa, primus quod legerim, Bibliothecas duas Romæ iuxta fontem Laterani ædificauit, in quibus Ecclesiæ Romanæ scripta, & Epistolas decretales Romanorum Pontificum, Conciliorum actiones, hæreticorum palinodias, & hæreses, sanctorumque Patrum libros publico usui Christianorum conseruaret: cum eo tempore libri ob paucitatem, & librariorum caritatem difficile admodum inuenirentur.

Sed tamen præter has (ut iam ad originem Vaticanæ deueniamus) fuit etiam alia, fortasse omnium maxima, in ipso Lateranensi Patriarchio structa Bibliotheca optimis voluminibus referata: quæ eo loci ferè annis M. quandiu Romanii Pontifices Lateranum incoluerunt, permanxit. Postea verò quam Clemens V. in Galliis Romanam sedem constituit, Pontificalia bibliotheca fuit Auiunionem translata, libris iussu Pontificum ex Laterano adiectis, atque Auiunione in Apostolico Palatio ferè spatio cxx. annorum retentis; quoisque Dei benignitate sublatto schismate, post Martini V. creationem eius bibliothecæ magna pars fuit iterum Romanum perducta; & non Laterani, sed in Vaticano, ubi Romanus Pontifex sedem fixerat, collocata: confusis tamen, sparsisque libris, neque vlo certo, aut digno loco interclusis. Quod indignè ferens Sixtus IV. Pont. Max. incredibilem librorum copiam à suis prædecessoribus relictam, qui partim vetustate, partim hominum iniuria

iniuria consumebantur, certo, & opportuno  
loco digessit armariis, pluteis, ceterisque instru-  
ctæ, & bene cultæ Bibliothecæ necessariis exor-  
nauit: atque Bibliothecam Vaticanam multis  
additis voluminibus, Ecclesiæ decori, fidei Ca-  
tholicæ amplificationi, publicæ cruditorum ho-  
minum commoditati, & honori consecravit.  
Hæc igitur Vaticana Bibliotheca omnium,  
quæ in orbe terrarum sunt, instructissima est,  
optimisque, & antiquissimis scriptis in mem-  
branis libris refertissima, quorum numerum sex  
millium excedit. huic, ut facilius conseruaretur,  
& augeretur, Sixtus I v. strenam centum au-  
reorum, quam Romanis Pontificibus colle-  
gium scriptorum Apostolicarum litterarum  
quotannis donare consuevit, in perpetuum ad-  
dixit. hanc summa industria, & diligentia cu-  
rant, & administrant Bibliothecarius, custo-  
des, correctores, librarij, sarcinatores, & is, qui  
Bibliothecam verrit: quæ omnia ferè munera  
fuerunt à Sixto IV. instituta.

Qui ergo Bibliothecæ præcerat, iam olim Bi-  
bliothecarius, & aliquando cancellarius vocabatur.  
Huius munus erat, Bibliothecam, & omnia eius  
volumina scripta, mēbranas, & similia accura-  
tissimè custodire; Bullas, siue diplomata, vel  
Epistolas decretales Pontificum scribere, & si  
opus erat, dictare, acta Conciliorū, & Synodalia  
exscribere, ac conseruare; tandemque apud  
Rom. Pont ea omnia præstare, quæ sedis Aпо-  
stolicæ Cancellarij nostro tempore faciunt.  
Cōueniens etenim visum fuit, ut is potissimum  
esset Papæ amanuensis, scilicet scribarum prin-  
ceps, vel à secretis, qui etiam Pontificiam Bi-  
bliothecam, quæ tunc erat veluti *Cancellaria*  
quædam, siue, ut nunc loquimur, *secretaria*, tra-  
ctaret. Nostris verò temporibus hæc munera  
sunt diuisa. Bibliothecæ autem Romanæ sem-  
per

per clarissimi, & optimi viri probatae doctrinæ,  
& sanctitatis præfuerunt: nam Anastasius in  
vita Gregorij **II.** scribit, Gregorium, antequam  
Pontifex crearetur, Bibliothecæ Lateranensis  
curam suscepisse: *qui, inquit, est vir doctissimus,*  
& Constantiopolim ad Imperatorem Iustinianum **II.**  
cum Constantino Papaprofectus, & ab eodem Princi-  
pe in multis difficillimis questionibus interrogatus, pe-  
ritissime omnibus satisfecit. Bibliothecarius præ-  
terea in eiusdem vita refert, Gregorium ab ine-  
unte ætate in Patriarchio Lateranensi nutri-  
tum fuisse, atque à Papa Sergio subdiaconum  
& sacellarium creatum, Bibliothecæ Lateranen-  
sis curam suscepisse, postmodumque diaconum  
factum fuisse. Xistus vero **IV.** idib. Iulij, Pon-  
tificatus ann. **VI.** & ab orbe redempto **M. CCCC.**  
**LXXV.** perpetuum custodem, & veluti Biblio-  
thecarium Vaticanæ Bibliothecæ iunc à se ere-  
cta bulla plumbea instituit

1. Bartholomæum Platinam Cremonensem, scriptorem Apostolicum, familiarem suum, stipendio menstruo decem aureo-  
rum decreto, additis viatu pro se, & tribus fa-  
mulis, & equo uno, iunctisque regalibus quæ  
Palatinis Papæ familiaribus dari consuecant:  
lignis nimirum, sale, aceto, candelis, oleo,  
scopis, & similibus. Deinde mortuo Plati-  
na idem Xystus **IV.** Kal. Nouembr. Pon-  
tificatus sui anno **XI.** is est annus Domini **M.**  
**CCCC. LXXXI.**

2. Bartholomæum Manfredum, clericū Bri-  
tonensis diœcesis, Decretorum Doctorem, fa-  
miliarem sibi gratum, linguarum peritia insi-  
gnem, scriptorem Apostolicum, Biblioteca-  
rium creavit: atque ut huic muneri pristinum  
splendorem, dignitatem, & amplitudinem resti-  
tueret; statuit, ut Bibliothecarij deinceps futu-  
ri scutiferi primi Romani Pont. perpetuo es-  
ser,

sent, reciperenque stipendia, honores, & emolumenta consueta, facta prius decem millium ducatorum cautione in camera Apostolica, datoque de fideli, ac diligentib[us] Bibliothecæ cura iureiurando. Post hos creati sunt temporibus suis qui sequuntur.

3. Christophorus Persona Romanus, Prior sanctæ Balbinæ, creatus anno M. CCCC. LXXXIV.

4. Iohannes de Dionysis Venetus anno M. CCCC. LXXVII.

5. N. Hispanus Archidiaconus Barcinonensis, anno M. CCCC. XCII. hic est sortasse Hieronymus Paulus Cathalanus, Canonicus Barcinonensis i. v. d. qui fuit Alexandri VI. cubiculatorius, inter cuius fragmenta inuenta fuit *Prædicta cancellaria Romæ* edita anno M. CCCC. XCIII. Pontificatus Alexandri VI. anno secundo.

6. Iohannes Fonsalida Hispanus, Episcopus Interannensis anno M. CCCC. XCV.

7. Fr. Volaterranus Archiepiscopus Ragusinus anno M. D. V.

8. Thomas Iugerannis, alias Phædrus: Volaterranus anno M. D. X.

9. Philippus Beroaldus iunior, Bononiensis, anno M. D. XVI.

10. Fr. Zanobius Accarolus Florentinus, ordinis Prædicatorum, anno M. D. XVIII.

11. Hieronymus Aleander, Carnus, Archiepiscopus Brundusinus, Cardinalis, anno M. D. XXXVI I.

12. Augustinus Steuchus Eugubinus, Episcopus Chisamensis, congregationis S. Saluatoris, Bononiensis, anno M. D. XXXVIII.

13. Marcellus Ceruinus Politianus, presbyter Cardinalis tit. S. Crucis in Hierusalem, anno M. D. XLIX. creatus à Paulo III. hic stipendum, & quattuor sportulas Bibliothecariis dari

dari solitas recusauit: atque inter duos correctores Latinos, & eum, qui Bibliothecam verreret (ut inferius dicetur) distribuit.

14. Robertus de Nobilis Politianus, diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica, anno Domini M.D.LV. creatus à Paulo IV.

15. Alfonsus Carafa Neapolitanus, diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica, anno M.D. LVII. à Paulo IV. creatus.

16. Marcus Antonius Amulius, presbyter Cardinalis Venetus, anno M.D.LXV.

17. Gulielmus Sirletus, presbyter Card. Cababer, die XIIX. Martij anno M.D.LXXII.

18. Antonius Carafa Neapolitanus, presbyter Cardin. tit. SS. Iohannis, & Pauli, die XV. Octobris anno M.D.XXCV.

Cum autem unus vix, aut nulla ratione posset tot millium librorum conseruationi vacare, & necessariis Bibliothecæ rebus consulere; idem Xystus duos custodes perpetuos spectatæ fidei, & diligentia, qui Bibliothecarium iuuarent, instituit: dato uniuicuique trium aureorum stipendio menstruo, victuque, & aliis necessariis, ut oleo, sale, aceto, lignis, faculis, pro se, & famulo. Atque omnium primi fuerunt Iohannes Chadelli clericus Lugdunensis, IV. Kalend. Maij; & Petrus Demetrius Lucensis, qui in tenuello Pontificis lector erat, Kalend. Maij Pontificatus Xysti anno X. creati. Demetrio mortuo suffecit Iulius II. die VI. Iulij, Pontificatus anno I. X. Laurentium Parmenium de S. Genesio, presbyterum Camerinensem; & Iohanni Chadelli Romulum Mammacimum Bernardi, Canonicum Aretinum, cubicularium, & familiarem suum, Kalend. Septembr. an IX. Ideoque Iulius XXII. Augusti, Pontificatus anno primo in singulas hebdomades hiemali tempore salmam carbonum custodibus con-

N cesserat:

Prædictis succedunt m. d. x x x i v. Faustus Sabæus, Brixianus, poëta, & Nicolaus Maioranus Hydrantinus: huic successit Gulielmus Sirletus Squillacen. per promotionem ad Episcopatum Monopolitanum.

Hieronymus Sirletus Gulielmi frater succedit, promotionem ad Protonotariatum.

Federicus Ranaldus Valuen. successit Fausto Sabæo.

Marinus Ranaldus Valen. Federici frater successit Hieronymo Sirleto.

Addidit quoque Xystus (ut nihil ad ornamentum, & decus Palatinæ bibliothecæ deesset) librarios tres, Latinum, Græcum, & Hebræum; cum victu, & menstruo salario quattuor scutorum. Paulus verò iv. scriptori Græco portionem, & stipendium duplicauit, aliosque tres librarios adiunxit, duos Græcos, & unum Latinum: illorumque vni duas sportulas, & quinque aureos menstruos assignauit; alteri verò sportulas duas, & aureos quattuor. Latino verò scriptori portionem dupliceim, & aureos quinque dari iussit: instituitque librorum sarcinatorem, & confectorem; cui i. v. scutorum menstruum salarium dedit.

Tandem Marcellus Ceruinus Bibliothecarius prædictus instituit duos librorū correctores, & reuiores Latinos; quibus emolumenta Bibliothecarii dari solita, quæ ipse, ut diximus, recusauit, concessit; singulis tribuens bonas sportulas ex iv. quæ sibi contigerant: vni verò menstruum salarium v. ducatorum, & alteri quattuor ducatorū tribuit. eum autem, qui remanebat ex x. Bibliothecario dari solitus, assignauit ut stipendium menstruum ei, quem Paus. i. v. instituerat ut verneret Bibliothecam, cui tamen regalia fuerunt negata. Primi correctores

stus  
ora-  
Sir-  
sco-  
suc-  
n.  
usto  
ater  
ma-  
Set)  
um;  
no-  
tio-  
sli-  
ati-  
que  
rtu-  
cri-  
que  
em,  
lum  
eca-  
res,  
Bi-  
us,  
nas  
erò  
eri  
re-  
ssi-  
au-  
cui  
re-  
res

stores Latini fuere Gabriel Faërnus Cremonensis, & Nicolaus Maioranus, quibus Pius IV. correctorem Græcorum librorum adiunxit, cui in singulos menses x. aureos attribuit.

DE OSCVLATIONE PEDVM  
ROMANI PONTIFICIS.

C A P. XI.

'Ex Iosepho Stephano, Episc. Oriolano.

Lure optimo à Romano Pontifice sandalia Cruce  
insignita gestari, & oscula pedibus eius à piis  
hominibus imprimi.

ROMANI PONTIFICES cùm multa &  
dignitatis & gloriæ insignia à Constantino  
Magno accepissent, quibus per longa tempora  
culti sunt; Vdones quoque ex lineo candidissi-  
mo, ad pedes ornandos acceperunt; de quibus in  
actis S. Sylvestri : γόνατε τέττ' ἐσι λιγνοτάρη<sup>ιδέην πεπὶ τὰ γαρδίγανα χῆνδαι</sup>, id est, Vdo-  
nibus ex candidissimo lineo ad pedes, uti debe-  
re Pontifices. Volebat enim Constantinus  
illos vel linteaminibus candidissimi coloris or-  
nari, vel calceamenta candidissima deferre; mo-  
re veterū Sacerdotum & Vatum, qui huiusmo-  
di calceamentis vtebantur; vt apud Herodia-  
num lib. 5. legimus: Antonium more Vatum  
eius regionis vbi sacerdotio fungebatur, calceos  
candidissimos ex lino gestasse. Hoc tamen  
compertum habeo, Sandalia Romani Pontificis  
aliquo ornatu vel signo peculiari, ab aliis omni-  
bus, quibus Episcopi inter Missarum solemnia  
vtuntur, fuisse discreta: cum B. Antidius apud  
Segebertum anno 412. ex Sandalo, quo Ro-

N 2 manus